EQUITIS

ALEXANDRI RIBERI

Operationum Chirurgicarum Professoris

ORATIO

HABITA DIE XXVII IULII, ANNO MDCCCXXXIX

Quum Lectissimus Prolyta

IOHANNES BAPTISTA VIGO

A Corio

Philosophiae et Chirurgiae Doctor

renuntiaretur

IN R. TAURINENSI ATHENAEO

TAURINI

EXCUDEBANT SPEIRANI ET SOC.

COMMENDATIO.

Si quem libentissimo vobis animo aliquando commendavi, Patres Sapientissimi, is certe est Iohannes Vigo a Corio, qui, quum nobilissimae facultatis nostrae curriculum nuper emensus sit, ac Venerandi illius Nosocomii, quod a Sancto Iohanne Baptista appellationem nactus est, assiduum se, solertemque alumnum hucusque praebuerit, ad supremum nunc Academiae gradum, quem tamquam honestissimum studiorum, laborumque suorum praemium vel ab ipsis primordiis sibi proposuerat, vehementissimo animi studio contendit. Sive namque inspiciamus praestantes, quibus abunde praeditus est cum intellectus, tum voluntatis dotes, sive

eximiam Maiorum suorum sapientiam ac virtutem, sive demum praeclara ab ipsis collata in rem publicam merita, eum certe praesentem habemus, qui omni commendatione ac favore dignissimus est. Quapropter nullus dubito quin vos omnes eadem, qua ego, benevolentia in ipsum affecti, naturalem, quam ipsi ingerit amplissimus conspectus vester, animi formidinem temperare humanitate vestra non dedignemini, eumque omnimode erigere ac sustentare hodierna die velitis. Sic enim luculentissime probabitis quanti apud vos sint, qui de re litteraria benemeriti omni tempore sunt, aut moerentur. Macte igitur animo, macte ingenio esto, optime Prolyta, illudque scias, amplissimos huiusce Ordinis Patres, quo sunt sapientiores, eo etiam maiori facilitate atque indulgentia pollere, nec aliorum laudibus eos invidere, qui omni prorsus laude ex se se cumulatissimi sunt.

LAUDATIO.

Egregie quidem, illustrissime ac reverendissime rei litterariae Pro-Cancellarie, Praeses amplissime, Professores ac Doctores sapientissimi, Auditores humanissimi; egregie quidem in celeberrimo hoc Athenaeo institutum fuit, ut, quum studiosi Adolescentes aut honesta missione, aut laurea corona donarentur, aliqua semper a Professoribus, qui eos praesentes sisterent, oratio haberetur. Ita namque fit, ut honestis honesta tribuatur laus, quae stimulos ipsis addat, unaque simul caeteros ad eorum imitationem impellat, quum laudati majorem plerumque laudandorum manipulum iterum afferant. Neque hoc tantum, sed et commoda atque idonea se se exhibet Professoribus occasio quae velint, quaeque sentiant ad facultatis quis-

que suae utilitatem ac laudem spectatissimis Collegis libere aperiendi; quod certe in maximum ipsius incrementum vergit, ac nobis omnibus praecipue in votis est.

At quod superiore anno, cum primum optimus hic Adolescens a vobis honestissime mitteretur, lamentabar, illud et in praesenti concione lamentandum mihi est, Patres sapientissimi; circumscribendos nempe mihi esse dicendi fines, quum quae ad laudem nedum Chirurgicae scientiae, sed vel unius Prolytae nostri, qui nomen ei animumque dedit, dicenda forent, non omnia possint brevi oratione contineri.

Missis igitur hodie praestantissimae facultatis nostrae laudibus, nonnulla tantum de candidato nostro breviter dicam; dicam autem eum et ingenio florere et omni genere virtutum, quae ingenuum quemque iuvenem maxime decent.

Ac de ipsius quidem ingenio neminem arbitror futurum, qui, vel me tacente, aliquam in antecessum non capere possit conjecturam, si quae gentilitia ipsi sunt vel tantisper animo perpendat, recolatque quot quantorumque illustrium virorum sive agnatorum, sive cognatorum ordo ipsum praecesserit, atque haereditario quodam iure, haereditaria successione mentem, animum-

que ipse tradiderit. Licet enim ex fatuis parentibus ingeniosi filii, et stolidi filii ex ingeniosis parentibus aliquando nascantur, ut non certam omnino hac in re iudicandi regulam nobis tradiderit natura; saepe tamen, ex Horatiana sententia, fit, ut qui praestantes maiores ac parentes habuerunt, praestantes et ipsi suo sint tempore evasuri. Quod utrum naturae magis an educationi et institutioni tribuendum sit non ita facile est definire. Certe non ei sufficit institutio et educatio, cui natura omnia prorsus dona negaverit; at illud aeque certum est paulo cultiori institutione atque educatione ita perfici dona naturalia, ut saepenumero hisce excultus atque adiutus, etsi minus acri ingenio donetur, ad magnam tamen perveniat praestantiam, interea dum praestantissima quandoque ingenia, haud exculta, iacent. Par igitur ingenium necessarium: at necessaria pariter est idonea institutio, atque educatio. Neutrum defuit Prolytae nostro; habuit a maioribus suis ingenium cum sanguine; habuit et rectam institutionem, atque consentaneam educationem cum splendidissimis vitae exemplis coniunctam.

Utque ab antiquioribus ipsius consanguineis exordiar, quis nesciat, Patres amplissimi, quan-

tus olim fuerit venerabilis ille Sacerdos Iohannes Bernardus Vigo, cuius et nomen et virtutes candidatus hic accepit, quemque omnigena eruditione praestantem, et scientissimum romanae eloquentiae Professorem sive in frequentissimo hoc Archigymnasio, sive in Regia scientiarum Academia admirati sunt Patres nostri? Ac huius quidem viri laudes si pro merito persequi vellem lingua profecto, mensque mihi deficerent: tot namque tantaque fuere animi bona, quae in eo felicissima consociatione se se invicem complexa sunt, ut ab excellentissimo viro aeque ac prudentissimo rerum aestimatore Caesare Salutio (1) Principum nostrorum Sabaudiae ac Genuae Ducum custode atque educatore inter primos habitus sit. Sacerdos sanctitate praestans, ingenio acerrimus, eximius litterarum cultor, laboris amantissimus idem ac patientissimus, scriptor elegans atque accuratus, disertus Orator, facilis ac nitidus, sincerus praeterea, constans ac fidelis amicus, gravis ac morigerus, omnia in se uno habuit, quae illum numeris omnibus absolutissimum virum facerent.

Inter haec tamen unum est, quo praecipue

(1) Notizie intorno alla vita di Gian-Bernardo Vigo. Torino 1812.

excellebat. Virgilii pöematum studiosissimus, Virgilianum spiritum adeo in se expressit, ac Virgilianas dictiones, Virgilianos modos huc usque imitatus est, ut *Subalpinus Virgilius* a doctis diceretur. Re enim vera facilis adeo carmina promebat, ut plura ediderit poemata laude dignissima, eaque praecipue, quibus praefixit titulos: *De Sindone Taurinensi: Cortex peruvianus: Tubera terrae: Marmora Taurinensia.* Illudque mirandum, tantam fuisse in Iohanne Vigo ingenii vim, ut extremis ipsis suae vitae temporibus eadem facilitate, eodemque robore scriberet, quibus antea scribebat: quod testatissimum faciunt, praeter alia quamplurima, praeclara illa duo scripta, quorum aliud soluta Oratione, aliud versibus, ambo latine expressa Regiae scientiarum Academiae reliquit (In primo *classis* ut aiunt *literaturae* ac amaeniorum artium volumine).

Sed praeter hunc, plures alios habuit Proselyta noster ex maioribus et propinquis suis egregios sapientiae et virtutis praeceptores ac duces: optimum nempe patrem suum Clementem Vigo, Chirurgiae Doctorem, qui cum artem hanc utilissimam in Gallico exercitu anteactis temporibus iam exercuerit, nunc in patria maxima cum

omnium existimatione, et in pauperes charitate exercet: itemque alium Iohannem Vigo, Medicinae Doctorem ac patruum suum; qui certe non exiguo ipsi adjumento fuerunt, ut praestantissimae facultatis suae curriculum felicissimo exitu conficeret.

At quanto, Patres Conscripti, ad studium incitamento ipsi fuisse putabimus exemplum praeclarissimi viri Iohannis Baptistae Chiesa, quem non ita pridem luximus, quique post egregios exantlatos labores, unum ex Medicinae suggestis in hac eadem alma scientiarum parente per tot annos tanta cum dignitate, tantoque discipulorum fructu conscendit? Infinitus quoque essem, ac insuper supervacaneam rem facerem, si eximii huius viri studia, scientiam, ac praeclara in rem publicam merita vellem in medium afferre, cum et omnes eum noverimus, et ipsius nomen in omnium adhuc ore versetur.

Illud sufficiat dicere, longam ipsum vitam non sibi, sed societati vixisse, atque in hoc tantum eum incubuisse, ut medicae arti incrementum aliquod, atque utilitatem cum docendo, tum scribendo afferret. Ipsi revera acceptum referendum est praeclarum illud opus, quod *Nuova Farmacopea Torinese* inscribitur. Ab ipso pa-

riter doctissimas accepimus atque solidissimas Medicinae tractationes, quae tanto etiam nunc sunt praesidio Hippocraticae scientiae studiosis. Nihil igitur mirum, Patres sapientissimi, si Consiliarius primum, deinde Praeses amplissimi illius ordinis quem *Proto-medicatum* dicunt, ab Augustissimis Regibus Victorio Emmanuele et Carolo Felice electus fuerit; Consilio autem, quod fuerat ad cohibendam asiatici morbi non ita pridem grassantis contagionem institutum ab invictissimo Carolo Alberto feliciter regnante Praefectus. Paucis dicam: Professor sapientissimus, Clinicus peritissimus, Magistratus integerrimus, magnum sui desiderium reliquit. Heu! Patres, quantam in huius viri funere iacturam fecissemus, nisi carissimo filio Vincentio Chiesa Medicinae Doctore atque archiatro curante, ipsius saltem scripta superessent!

At quid dicam de hoc ipso, deque alio praeclarissimi Professoris filio iurisconsulto Claudio Chiesa apud magnam, uti aiunt, Cancellariam Secretario, qui Prolytae huius avunculi sunt amantissimi? Horum omnium laudes malo prudenti silentio praeterire, quam inepto sermone efferre: quum enim pluribus abhinc annis amicissimos eos habeam, tot tantaque in ipsis deprehendi

scientiae, fidei, modestiae, probitatis, ac honestatis argumenta, ut nequeam eorum virtutes apta oratione aequare, licet carissima amicitiae pignora ab ipsis accepta, quae miserrimam hanc vitam saepe tolerabiliorem mihi fecerunt, aliquo ipsis modo rependere quam maxime vellem. Caeterum nostis vos, Patres spectatissimi, quantam in officio quisque suo existimationem apud optimos quosque et consecutus sit, et in dies consequatur.

Horum omnium laudes properando persecutus, illud unum in mente habui, ut ostenderem qua ex progenie ortus sit Prolyta noster, et quot, quantosque viros habuerit ad sapientiam, virtutem, atque omnem humanitatem tum verbis tum exemplis illum informantes.

Facto revera constat, uberrimos inde fructus in eum profluxisse, nam praeter medicae artis scientiam, cuius praeclarum hactenus specimen dedit, morales quoque virtutes ab iis hausit, atque in se vividissime exprimit, ac primo quidem modestiam singularem, qua fit, ut costantem quemdam modum et pudorem servet in dictis, factisque, caveatque ut intra fines eorum, quae licent, se contineat, neve in iactantiam incidat et superbiam. Quae virtus quo magis

in plerisque, iuvenibus praecipue, desideratur, eo maiorem Prolytae nostro, in quo maxime elucet, honorem addit atque honestatem.

Cui maxime propinqua atque ex uno eodemque veluti fonte profluens ea est, qua iterum fulget Iohannes Vigo, quamque *sui diffidentiam* vocant morum praeceptores. Qua virtute qui carent, eos ad aliquam animi praestantiam erecturos se aliquando esse haud sperare licet. Vix enim Esculapii, ut aiunt, templi limina ingressos, de omnibus eos disputantes, vel potius garrientes audies, quin aliquid boni succi ex eorum verbis exprimere valeas: discere detrectant quae ignorant: dedignantur vel ab ipsis Magistris eorum explanationem quaerere quae male sciunt, ac vix e scholis dimissi, summos se iam esse putant: dumque ex animi elatione et arrogantia pene dicam intolerabili caeteros despiciunt, seipsos caeteris contemnendos quotidie praebent, ac nescio an risui magis quam indignationi patescant sapientum: utrique certe.

At contra qui virtute illa pollent, ii profecto nequeunt non valde in artes, scientiasque proficere, quum et morigeros se praeceptoribus exhibeant, et prius discere malint quam docere, nec se unquam alicuius rei doctos existi-

ment antequam rem ipsam undequaque noverint. Hoc sane tenuit ac perfecit candidatus noster; adeoque nec solum obsequentem ac morigerum, docilem, atque attentum discipulum, sed et studiosum scientiae cultorem ac sedulum eorum, quae adhuc ignoraret, investigatorem se praebuit.

Quid vero dicam de ipsius erga aegrotos humanitate et charitate? Brevitatis fines nimis excederet oratio haec mea, si omnia, quae huc spectant, referre, ne dicam exornare facta vellem, quum vel singulis diebus praeclara illius virtutis argumenta dederit, nec tantum cum dolentibus doleret, cum patientibus pateretur, morosis benigne indulgeret, omnes solaretur, omnibus lenia verba daret, opitularetur omnibus; sed et aliquando spontaneo sentientis naturae motu lacrymas, alieni doloris vi expressas visus sit fundere. Sed quid plura? Omnia dixero, si alium Chirurgiae alumnum adeo in aegrotos misericordem, adeoque et beneficum quam quod Iohannes Vigo sit, me raro agnovisse dicam.

Videtis hinc, Patres conscripti, in quem beneficia vestra coniecistis, quemque aequissimis suffragiis vestris cumulavistis. Quae certe, si quis alius, promeritus est Prolyta noster duplici sive scientiae, sive virtutis titulo, ut ex

modo habita disputatione, et ex hactenus dictis abunde coniectari potestis. Iussa igitur vestra facturus, decreta a vobis praemia ac decora meritissimo iuveni nomine vestro conferam. Qua quidem in re non tam meo fungar munere, quam animi mei sensibus obsecundabo.

Habeas itaque, Iohannes Vigo, quae tibi decrevit amplissimus hic Ordo studiorum, laborumque tuorum praemia, lauream coronam, equestrem annulum, reserata Chirurgiae volumina, sedem inter Sapientes, atque esto nostrae facultatis Doctor, qualem ego te, annuente Illustrissimo ac Reverendissimo rei litterariae Pro-Cancellario, Regia ac Pontificia qua polleo auctoritate, aio, constituo, ac renuntio.

Doctor meritissime, Maiorum atque Propinquorum tuorum honoribus ac titulis contentus ne sis, sed eorum vestigiis inhaerere perge. Gloria Patrum ac illustrium Virorum qui praeunt, non exornat, sed damnat filios ac nepotes, qui sequuntur, si degeneres isti sint; eoque damnabilior tu esses, si post initum sapientiae ac virtutis tramitem, per desidiam atque ignaviam ab eo deflecteres, quo plura atque splendidiora te illuc impellebant exempla. Tuos igitur sequi ac imitari ne cesses. Hac tantum

conditione tibi ac societati, sicuti ipsi vixerunt, cum magno tui atque aliorum emolumento vives. Vale.

Vidit ex Delegatione D. D. Archiep.
Can. Al. Vogliotti.

V. Filippo Ravina Vic. Gen.

V. Imprimatur:
MALASPINA Moderator.